

sione, diximus peccatorem fidelem, cum sola externa propositione objecti fidei, posse sine aliqua gratia excitante elicere actum fidei, saltem modo speculativo, cum tamen actus ille etiam supernaturalis sit: ergo similis propositio objecti poterit esse sufficiens ex parte voluntatis. Respondetur imprimis illam particulam *solum* non excludere concomitantia, id est, non excludere internam doctrinam qua Spiritus Sanctus facit interius concipere objectum fidei, prout necessarium est ad actum fidei elicendum: probabile enim est etiam ad illum modum concipiendi uti Deum exteriori verbo ut instrumento, et adjuvare seu manducare intellectum, ut melius id faciat quam suis viribus possit, et hoc genus auxilii ad omnes et singulos actus fidei, etiamsi ex habitu fiant, esse necessarium. Juxta hoc ergo, particula *solum* excludit tantum alia auxilia, quæ ex parte piæ voluntatis ad credendum sunt necessaria, quia supponimus illum actum fieri posse ex habitu, sine speciali motione voluntatis ad talem assensum in specie, sed tantum ad considerandum vel judicandum de hujusmodi rebus. Deinde vero addimus in actibus voluntatis, ut sancte fiant, esse longe majorem difficultatem quam in actu intellectus speculativi, etiamsi sit fidei, quando jam intellectus supponitur captivatus in obsequium ejus; tunc enim simpliciter fertur in veritatem objecti propositi, et difficultates fidei, vel non considerantur, vel ex habitu tanquam nullæ reputantur. At vero rectitudo et sanctitas in actu voluntatis ex multis circumstantiis pendet, et præsertim ex puro motivo consentaneo tali actui, quod difficile ab aliis motivis secernitur, et plura etiam sunt quæ illum impedire vel obscurare possunt, et ideo major necessitas excitantis gratiæ ad actus pietatis, prout a voluntate pendent, etiam in justis invenitur.

32. *Ad primum fundamentum primæ sententiæ.* — *Ad fundamentum secundæ.* — Superest ut ad argumenta aliarum opinionum respondeamus. Et ad primum fundamentum primæ sententiæ, nihil novi est quod dicamus, jam enim ostensum est quomodo excitatio præcedens, eodem modo quo dicitur in virtute vel in semine manere, non potest per se sufficere, nisi iterum excitetur et juvetur. Idemque et cum proportione dicimus ad fundamentum secundæ sententiæ, nam etiam fides mortua indiget excitatione ut actu operari valeat, et per se est etiam inefficax ad excitandam sufficienter voluntatem ad perfectam conversionem, non tam ratione sui quam ratione sub-

jecti infirmi et prave affecti. Neque Concilium Tridentinum, cap. 6, dicit unicam excitationem sufficere ad omnes dispositiones quas ibi numerat: posset tamen id habere locum quoad excitationem omnino non liberam, et ab extrinseco provenientem, quando actus voluntatis ita essent inter se connexi, ut unus ad alium moveret, tunc enim præcedit saltem primâ excitatio ab Spiritu Sancto, quæ sufficiat movere voluntatem ad aliquem liberum actum; ille vero statim excitat mentem ad alium sibi consentaneum, excitando etiam aliam cogitationem in intellectu, si necessaria fuerit, in qua etiam Spiritus Sanctus habet suum proprium influxum. Unde licet hoc modo procedatur, et usque ad perfectam conversionem et justificationem perveniatur, id non fit sine propria gratia excitante, ut jam declaravi. Confirmatio autem quæ ibi additur in æquiparatione inter justum et peccatorem, ex dictis in tertia assertione soluta relinquatur, et in capite sequenti amplius declarabitur.

33. *Ad fundamentum tertiæ sententiæ supra num. 6.* — Ad fundamentum tertiæ sententiæ, imprimis respondendum est ad verba D. Thomæ in dicto artic. 9, in quibus aliqui, per auxilium gratiæ et per motionem divinam, aliquam gratiam excitantem intelligunt: unde potius colligunt, secundum D. Thomam, justum indigere gratia excitante ad singula bona opera, etiam ordinis naturalis; sed hoc verisimile non est, ut latius in primo libro dixi. Dico ergo D. Thomam ibi indefinite loqui de bono efficiendo et malo evitando, et ita eodem modo loqui de motione Dei indefinite, et cum partitione accommodata postulare illam ad omne opus bonum, generalem scilicet, seu naturalem, ad opera naturæ; specialem vero, seu gratuitam ad opera pietatis. Ad Concilium Arausicanum respondemus, cum in prioribus verbis dicit: *Christo auxiliante, et cooperante*, et cum in posterioribus dicit, *cum ipsius adjutorio*, semper intelligere auxilium divinæ inspirationis, de quo in præcedentibus capitulis sæpe fuerat locutum, et in sequentibus ostendemus Augustinum et alios Patres, in communi modo loquendi de divina gratia, nomine divini auxilii excitantem gratiam imprimis comprehendere.

34. *Solvitur prima ratio supra num. 6.* — *Solvitur secunda.* — Ad primam rationem, omisa efficientia physica, propter quam nos excitantem gratiam non requirimus, negamus proprium munus ejus, quod utique formaliter præstat, posse per solum habitum suppleri,

quia, ut declaravi, neque formaliter dat habitus illum modum actualis et vitalis inclinationis, quem dat excitatio, neque efficere aliquid potest, nisi ipse excitetur. Unde ad illam comparisonem inter semen inspirationis et semen gratiæ habitualis, respondemus in hoc potius servandam esse proportionem, quod sicut excitatio non potest facere bonum conversionis sine adjuvante et cooperante gratia, ita neque habitus gratiæ potest efficere fructum justitiæ sine divina inspiratione, seu excitatione; in universum enim vera est Augustini sententia, quod Deus præparat voluntatem adjuvandam, et adjuvat præparatam. Ad secundam rationem, recte responsum est habitus gratiæ, quia sunt in potentiis animæ, et operantur ad modum illarum, præter comitantem gratiæ concursum, indigere prævia excitatione ad operandum. Hanc autem dicimus non fieri sufficienter per objecta externa sine interventu specialis auxilii Dei interioris, ut auctoritate et ratione explicatum est.

CAPUT IX.

DUO INCIDENTER DUBIA DE NECESSITATE EXCITANTIS GRATIÆ, TAM IN NATURA LAPSA QUAM INTEGRÆ, EXPEDIUNTUR.

1. *Dubium incidens.* — *Utrum justus sine auxilio speciali possit aliquid boni facere, quod peccator sine tali auxilio efficere nequeat.* — *Vega affirmat.* — Ex dictis in præcedenti capite, duo incidentia dubia expediri possunt. Primum est, an quoties peccator indiget auxilio speciali ad aliquod bonum operandum, illo etiam indigeat homo justificatus; vel e converso, an homo justus, ratione solius gratiæ habitualis, possit aliquid boni facere sine auxilio speciali, quod homo peccator sine tali auxilio facere non potest. Quod dubium attingit Vega, quæst. 14 de Justificat. Et in conclusione secunda respondet posse justum aliquid facere sine speciali auxilio, quod non potest peccator; non declarat tamen quid illud sit, allegat vero can. 3 Concilii Milevitani, in quo dicitur gratiam Dei, in qua justificamur, non solum valere in remissionem peccatorum quæ commissa sunt, sed etiam in adjutorium ne nova committantur, quem canonem de gratia habituali intelligit, sentitque per illam sine aliquo alio speciali auxilio posse vinctentationem, quæ ab homine existente in peccato sine illo auxilio vinci non posset. Idque confirmat, quia per gratiam habitualement cum suis virtutibus sanatur anima, et confortatur

ad bene operandum: ergo potest sua virtute hoc præstare sine alio speciali auxilio, alias frustra daretur.

2. *Vasquez negat.* — Contrariam sententiam docet Vasquez 1. 2, disputat. 193, c. 2; fundaturque illo suo principio, quod cogitatio congrua ad omnem operationem est necessaria, sive homo sit in peccato, sive in gratia, quia non magis potest voluntas vel intellectus, habens infusum habitum, operari sine cogitatione prævia, quam cum caret habitu; cum autem operatio honesta ex tali cogitatione sequitur, non potest non esse sancta et congrua; talis autem cogitatio congrua semper est gratia quæ non est debita homini etiam habenti gratiam, nam in quavis occasione et momento potest Deus illam non dare sine infidelitate, quia illam non promisit, et sine injustitia, quia homo propter solum habitum justitiæ illam non meretur. Hæc vero parvi momenti sunt contra Vegam; tum quia ille facile negaret omnem cogitationem congruam esse specialem gratiam; tum etiam quia fortasse diceret gratiam habitualement efficere, ut aliqua cogitatio sit congrua respectu hominis justis, quæ non esset respectu peccatoris, et ex hac parte specialius auxilium, id est meliorem seu intensiorem cogitationem esse necessariam peccatori, ut possit esse congrua, quam justo.

3. *Assertio prima.* — *Utendum hac in re distinctione.* — *Ad fundamentum Vegæ.* — *Ad canonem Milevitani.* — *Limitatio conclusionis.* — Mihi vero distinguendum videtur de auxilio excitante vel cooperante, et de bonis operibus ordinis naturalis vel supernaturalis. In operibus ergo naturalis ordinis, nullum invenio discrimen inter hominem habentem vel non habentem habitum gratiæ, sive quoad auxilium excitans, sive quoad cooperans, utique per se loquendo, et ex vi solius habitus. Ratio est quia isti habitus infusi non dantur tanquam principia istorum operum naturalium, neque ad illa per se inclinant, ideoque si quæ est in illis difficultas, illam non minuunt, ac proinde relinquunt eandem auxilii specialis necessitatem, ubi propter difficultatem operis intercedit, et ideo non potest cum probabilitate dici solum habitum sufficere, ut eadem gratia sit efficax vel congrua, quæ alias non esset, cum habitus gratiæ per se nihil ad talem efficaciam conferat. Et ita etiam quoad hanc partem cessat fundamentum Vegæ, quia licet gratia sanet animam quoad mortem culpæ apud Deum, non sanat illam quoad repugnantiam fomitis, nec vim

tentationum Dæmonis aufert. Quapropter, cæteris paribus, non magis potest vinci aliqua tentatio sine auxilio speciali ab homine justo, quam a peccatore. Nec recte in contrarium inducitur canon tertius Concilii Milevitani; tum quia ibi gratia justificationis non significat solum habitum, sed omnia auxilia gratiæ, quibus homo ad justitiam assequendam juvatur, ut infra tractando de justificatione videbimus; tum etiam quia, licet de habitu loqueretur, non esset intelligendus habitus per se et ex vi habitus infusi juvans, quia habitus (ut ita dicam) formaliter non juvat ad tentationem vincendam, sed est ratio ob quam vel Deus magis protegit justum ne graviter tentetur, vel magis illum adjuvat si tentetur, vel etiam quia facilius illum exaudit auxilium petentem ne cadat. Dixi autem *per se et ex vi habitus infusi*, quia si aliunde justus, propter exercitium virtutis, moderatas habeat passiones, et oblatam difficultatem, quæ ex consuetudine peccandi, vel ex aliquo affectu ad creaturam nascitur, contingere facile poterit ut aliquid boni naturalis facere vel aliquid mali vitare possit justus sine speciali gratia, quod non possit peccator. Nam licet in utroque requiratur congrua cogitatio ad talem effectum, tamen, si cogitatio congrua sit ordinis naturalis, non semper est speciale auxilium gratiæ, quæ ex principiis positis in libro primo facile constant.

4. *In operibus supernaturalis ordinis quoad necessitatem gratiæ excitantis par est justis et peccatoris conditio.* — In operibus autem supernaturalis ordinis, discrimen necessario constituendum est inter auxilium gratiæ excitantis, vel adjuvantis. Nam in necessitate excitationis ad actus supernaturales nulla differentia invenitur inter justum et peccatorem, seu inter habentem vel non habentem habitus infusos, hoc enim probant omnia quæ in tertia assertionem capitis præcedentis diximus. Hoc autem, sicut in priori puncto dixi, per se ac præcise ex vi habituum gratiæ intelligendum est, quia illi non suppleant, neque auferunt necessitatem excitationis, sed potius illa indigent. Si vero contingat hominem justum, ex usu præcedentium actuum, et ex speciebus illorum in memoria relictis, et moderatione affectuum a similibus dispositionibus inducta, esse aptiorem et faciliorem ad excitationem capessendam, in hac facilitate poterit distingui a peccatore, nunquam tamen distingui poterit in absoluta necessitate excitationum, quia semper justus illa indiget in hac vita, quan-

tumvis perfectus sit. Imo etiam differentia in dicta facilitate non est universalis, nec ratione habitus: nam si contingat justum et suo modo perfectum peccare mortaliter, licet amittat habitus infusos, retinet illam bonam acquisitam dispositionem, qua physice (ut ita rem explicem) redditur habilior seu minus ineptus ad excitationem divinam, et tactum cordis sentiendum. At vero quoad gratiam adjuvantem est clara differentia inter justum et peccatorem, quia justus habet intrinseca principia proxima ac per se supernaturalium actuum, et illa non suppleantur per supernaturalem gratiam, ideoque indiget peccator magis quam justus alia speciali gratia adjuvante ad actus charitatis, poenitentiae, et aliarum virtutum infusarum, quas non habet. Et hoc tantum probat ratio Andreæ Vegæ; nam habitus infusi operativi ad hoc solum dantur, ut sint principia proxima intrinseca suorum actuum, ut hoc modo adjuvent potentiam ad illos physice et connaturali modo eliciendos.

5. *Dubium alterum.* — *Utrum homo in statu innocentiae indigerit gratia excitante ad actus justitiæ, etc.* — *Negat Bellarminus.* — *Vasquez affirmat.* — Ultimo ex dictis definitur facile aliud dubium cum doctrina data connexum, videlicet utrum Adam, in statu innocentiae, indigerit gratia excitante ad actus justitiæ, et ad perseverantiam in illa. Aliqui enim negant, docentque solum indiguisse cooperante gratia, seu generali concursu justitiæ; ita docet absolute Bellarm., lib. de Gratia primi hominis, cap. 4; fundaturque in quibusdam locis Augustini, in quibus docet majori quodam auxilio indigere hominem in statu naturæ lapsæ quam integræ, ut libr. de Corrept. et grat., cap. 11 et 12, et libr. de Bono persever., cap. 7, et libr. 3 Hypognot., in principio; hoc enim propter auxilium gratiæ excitantis videtur ab Augustino dictum, nam in hoc statu, illo maxime indigemus propter naturæ corruptionem, et ideo in natura integra non videtur fuisse ita necessarium. Contrariam sententiam late docet Vasq. 1. 2, disputat. 193, cap. 3 et 4, docetque ad omnes et singulos actus bonos, tam naturalis quam supernaturalis ordinis, indiguisse hominem in statu integræ naturæ auxilio gratiæ excitantis. Idemque dicit de Angelis viatoribus, semperque fundatur in illo suo principio de necessitate cogitationis congruæ, quam semper censet esse speciale auxilium gratiæ.

6. *Assertio secunda.* — *Distinguendum est.* — *Ad actus naturalis ordinis non fuit tunc ne-*

cessaria gratia excitans. — *Neque obstat fundamentum Vasquez supra num. 2.* — Nobis autem distinctione proxime data de bonis actibus ordinis naturalis vel supernaturalis utendum est, et imprimis dicendum est, ad actus ordinis naturalis non fuisse simpliciter necessarium in statu integræ naturæ auxilium gratiæ excitantis. Ratio est, quia ad talia opera per se non est necessarium tale auxilium gratiæ, sed ob infirmitatem et ignorantiam naturæ lapsæ. Et hoc generatim de auxilio gratiæ probatum est late in libro 1, ubi etiam ostendimus hanc esse communem sententiam D. Thomæ et Theologorum, et fortasse hoc tantum voluit dicere Bellarminus; nam hoc tantum suis rationibus affirmat. Neque fundamentum illud de cogitatione congrua oppositum probat, quia talis cogitatio naturalis est, et ideo licet congrua sit, non pertinet ad auxilia gratiæ, ut in superioribus probatum est, quæ in sequenti libro quasi per recapitulationem iterum proponemus.

7. *Necessaria tamen fuit ad actus ordinis supernaturalis.* — Deinde addendum est indiguisse hominem in statu innocentiae gratia excitante ad actus ordinis supernaturalis, non solum propter cogitationem congruam, quæ in ordine gratiæ pertinet ad auxilium efficax, sed etiam propter cogitationem auxilii sufficientis, licet non esset futurum efficax. Ratio est, quia necessitas gratiæ excitantis ad hos actus non est quasi per accidens, propter corruptionem naturæ, sed per se, propter excellentiam talium actuum. Et hoc probant omnia quæ capite præcedenti adduximus in confirmationem tertiæ assertionis. Nam imprimis si sit sermo de actibus disponentibus ad primam justificationem, tam certum est hominem non potuisse in statu naturæ integræ, imo neque Angelos in sua conditione, se disponere ad primam gratiam habitualement, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione et illuminatione, sicut est certum de homine lapsa, ut nunc supponimus ex materia de justificatione; ergo ad hanc saltem indiguerunt gratia excitante. Si vero sit sermo de aliis bonis actibus, qui sunt fructus justitiæ, sic procedunt rationes factæ de hominibus justis, quia, ut dixi, non fundantur in peculiari conditione naturæ lapsæ, sed in propria natura talium actuum. Et ideo illæ sententiæ: *Deus est qui operatur in nobis velle et perficere*, et, *Qui cepit in nobis opus bonum perficiet*, non minus habent locum in Angelo et in homine integro, quam in lapsis. Denique in hoc sensu ait sæpe Augustinus in-

diguissse hominem, in hoc statu, divino adjutorio ad perseverandum et fructificandum in operibus justitiæ, ut videre licet lib. 14 de Civitat., cap. 27, et de Natur. et Grat., c. 26, et in Enchirid., cap. 106; ubi de quocumque homine perfecte justificato loquitur; neque in libro de Corrept. et Grat. est sibi contrarius, quia non loquitur de quacumque gratia excitante, sed de efficaci, et specialiter de peculiari dono perseverantiæ hominibus lapsis necessario; et tractando de hoc dono et de gratia efficaci, locum illum Augustini uberius declarabimus.

CAPUT X.

UTRUM MOTUS GRATIÆ EXCITANTIS SINT IN SUA ENTITATE SUPERNATURALES.

1. *Certum est motus gratiæ excitantis esse aliqua ratione supernaturales.* — *Status questionis.* — Quamvis ista quæstio ad existentiam istorum actuum pertinere videatur, eam in hunc locum distulimus, quia, suppositis quæ hactenus diximus, facilius poterit explicari. Primum ergo supponimus negari non posse quin isti actus sint aliquo modo supernaturales, quia omnia vera dona gratiæ, quæ ad salutem conferunt, sunt aliquo modo supernaturalia; sed gratia excitans est verum donum gratiæ, et ad salutem multum confert; ergo est aliquo modo supernaturalis; ergo motus illos, in quibus talis gratia consistit, aliquo modo supernaturales esse necesse est, quia intrinsece sunt ipsa gratia excitans, neque illa duo in re distinguuntur, ut supra ostensum est. Item, quia alias posset homo per naturales vires mereri hos motus gratiæ excitantis, si essent naturalia bona, quia hujusmodi bona cadere possunt sub bonum meritum naturalis virtutis, saltem de congruo, juxta doctrinam D. Thom. 2. 2, quæst. 22. Denique si hi motus essent mere naturales, quidquid per illos seu virtute illorum fieret, profecto per naturales vires fieret: hi autem motus dantur, ut supernaturaliter faciamus quod per vires naturæ facere non possumus; ergo necesse est ut isti motus supernaturales sint. Hoc ergo supposito, inquirimus quam rationem supernaturalitatis isti motus habeant, in eodem fere sensu, in quo facilem quæstionem de actibus deliberatis tractavimus in libro 2, scilicet an sint supernaturales in substantia sua vel in modo.

2. *Ratio dubitandi.* — *Non videntur esse tantum supernaturales secundum modum.* — Ratio